

- XXI.** Ius eligendi competit Electoribus non ut singulis, sed ut universis.
- XXII.** Electores Ecclesiastici ante confirmationem Pontificis electioni interesse possunt.
- XXIII.** Etiam nondum investiti exemplo Friderici Coloniensis.
- XXIV.** Sobriè asseritur Imperatorem habere plenitudinem, non verò summam potestatis.
- XXV.** Confertur hæc ipsi immediatè à Deo.
- XXVI.** Feudorum cognitionem Electores & Principes Imperii Cæsareæ Majestati ultrò submiserunt.
- XXVII.** Non potest deponi Imperator.
- XXVIII.** Renunciationem cum consensu Electorum facere debet.
- XXIX.** Non sequitur, est primus in ordine, E. primum votum habet.
- XXX.** Potest quis sibi ipsi suffragium ferre.
- XXXI.** Capitulum non potest convocari sede vacante.
- XXXII.** Capitulatio ante concipitur, quam electio solennis fit, nec ante eligitur, nisi constat, quod articulos conceptæ Capitulationis servaturus sit.
- XXXIII.** Electores Statuum nomine votant.
- XXXIV.** Status noster Monarchicus est; Nam (1)
- XXXV.** Omnes Status Imperii non sunt Vasalli tantum, sed & subditi, etiam corporaliter, si in Cæsarem delinquant puniendi. (2)
- XXXVI.** In causis personalibus Cæsari subjiciuntur.
- XXXVII.** Committunt in Cæsarem crimen læsæ Majestatis causativè & efficienter tale. (3)
- XXXVIII.** Iurant Homagium Imperatori non Statibus. (4)
- XXXIX.** Nullum Majestatis Ius Ordinibus seorsim consideratis independenter competit. (5)

XL. Per